

QVOD FELIX FAUSTVMQVE SIT!

DE

RVSTICIS ERVDITIONE CLARIS.



§. I.

Vanti olim fecerint homines rus colentes,
vel ex eo apertissimis colligi potest indicis,
quod M. Porcius Cato in præfatione de
Re Rustica scribit: *virum, inquiens, cum*
laudabant, ita laudabant: BONVM AGRI-
COLAM, BONVMQVE COLONVM. amplissime lau-
dari existimabatur, qui i/a laudabatur. Enim vero terque
quaterque beatus habeatur, qui ruri vitam degere pote-
rat; iuxta effatum Lyricorum Principis Eponon, od. 2.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fænore.

Atque sic æstimabantur ob vitam, quam viuebant, solitari-
am, quæ ad excogivanda quæpiam aptissima; vt Scripto-
res Rei Rustica satis superque demonstrant. vid. etiam
Francisc. Petrarchæ tractat. de vit. Solitar. Et hoc etiam
causa est, quare Gerhardus noster *de ev. 271016* in comment.
suo in Genesin cap. 4. p. 130 n. 3. Caini genus vitæ rusticum
præferat pasteritio Abelis. Quinimmo Aristotel. lib. 6.
Politico cap. 4. c. expressis dicit: *εργατισθησυσ επειγον-*
τε εστιν h. e. optimus populus est ille, qui ex agricultis constat. De-
nique Cicero, Romanæ Eloquentiæ princeps, nil omnium
terum agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcior, nihil
homine, nihil libero dignius censet lib. 2. de offic. p. m. 1183.
vid.

vid. insuper §. dissertat. nostræ VII. Mitto iam, quam olim agricultura in amoribus habita sit atque deliciis a Viris celebri loco natis e. g. Cyro, Rege Persarum & Sancione Rege Portugalliax. De illo legimus, ipsissima sua manu coluisse, agrum, arboresque in ordinem disposuisse. vid. Matthiae Theatr. Historic. p. 153. De hoc, quod ob nimium in agriculturam amorem à subditis sit appellatus, der Acker, König. vid. Francisc. Acerr. Exot. P. I. p. 850. Mitto etiam iura, quibus olim gauisi, nimirum creandi principes. vid. Hübner. Polit. Histor. P. V. p. 185.

§. II.

Verum enimuero quæ omnibus omnino in rebus ~~μεταποφωσις~~? quam despectum hisce temporibus apud multos est rusticorum genus? & quam susque deque habetur? satis id in digitant Rhythmi vernaculo sermone tritis simi, quibus eorum essentiam & naturam describere in operofisimo habent negotio: *Hec beste Bauer ist ein Lauer.* Quid denique eueniet? sane hauit iniuste facimus, si cum Vate Venufino lib. 3. od. 6. alta voce exclamamus:

Damnoſa quid non imminuit dies?

Aetas parentum peior auis tulit

Nos nequiores: mox datus

Progeniem vitiosorem.

At enim enimuero, qui secum paulo altius perpenderit, quod cum rustici, tum urbani, cum ciuiles, tum agrestes a DEO, omnium, quæ conspicimus, productore creatoreue sine discrimine sint creati; ipsos non modo non contemnet, sed & honore dignos censem. Nam non creaturam, sed creatorem spernet. Causam, cur istiusmodi infimo loco sint positi, diuinare nequeo. Id quidem inficiari nemo potest, multis e numero istorum esse simplicissimos: verum ibi in causa tum natura, tum parentes; natura, quod tam larga manu dona sua in eorum finum non effuderit; parentes, quod rebus sic se habentibus educatione bona non com-

compensauerint, quod natura denegauit. E contrario reperias multos, quorum natura ad altiora quædam adspirat, si modo a teneris, ut dicitur, vnguiculis adfuescantur, ut litteris dediti orbem eruditum adaugeant. At posito, quod illi istiusmodi rebus arceantur, & ut fabri fabilia trahant, ita agriculturam persequi teneantur; fit tamen sappissime, ut litteras, quasi unicum παρεγγον excolendo, tam aude adripiant tamquam diuturnam fitim expleturi. De Thalete Milesio testatur Diogenes Laertius p. 15. in eius vita, quod post Reipublicæ negotia sese ad contemplanda Phænomena contulisset, verba eius hæc sunt: μῆτρα δὲ τὰ πολιτικὰ τὸς φυσικὸς ἐχεντος Στοβάτα. Sic seposito labore animum Studiis rebusque, eruditum orbem concernentibus, quasi reficere mihi videntur. Huc faciunt, quæ Musonius apud Stobæum de rustico litterato refert, cui idcirco vita a-grestis bene placuit, quod interdum otium præbeat naturæ phænomena contemplandi: εἴποι μὲν δια, καὶ αριστον τέτο πατέτων τῶν εὐ γεωργίαις εργῶν, ὅτι τη φύκη παρεχει χρόνον πλεονεκτοντει τε καὶ ζητει παιδειας εργατεον. mibi sane inter omnia agricultura illud gratum, quod otii multum ingenii concedit, ac meditari aliquid disciplinis incumbentem finit. vid. Taubman. not. ad Culic. Virgil. p. 143. Et illi sunt, qui eruditæ nobis appellantur, de quibus paulo fusijs §. V. sequenti.

§. III.

Verbalia igitur quod attinet, non est ut iis multis inhæream; siquidem omnibus & lippis notum & tonsoribus est, quod vox rusticus deriuetur a rus, & ita ii fere erunt, quos Græci γεωργοι i.e. γεωργοι scilicet εργοτες adpellant, sive Agricolæ. vid. Martin. Lexic. Etymolog. Belgæ eos vocant Landmann/ qua voce indicare gestiunt hominem, qui rus agrosque ita colit omniaque ita adornat, ne damnum vsquequa faciat.

B

§. IIII.

§. III.

Substat autem ipsa vocis rusticī acceptio variis significatibus, & vt eo clarior sim, terminisque ludere non videar, paucis, multis aliis missis, obseruo, quod rusticus (1) idem sit ac ille, qui est imperitus morum, vel impolitis moribus viuit; & in eo sensu accipitur etiam a Cicerone, qui in orat. pro Roscio circa finem p. m. 226. hæc coniungit: *homo imperitus morum, agricola & rusticus.* Quæ significatio mea non est. (2) idem est, ac homo terram colens, & in hoc sensu sumitur a B. Franzio in libro de interpretatione Scripturæ S. p. 87. vbi dicit: *Laicos, rusticos & agricultoros experientia damnorum vel beneficiorum, diuinitius immis-
forum, commotos DEV M verbis expressioribus compellere, quam ipso
Pietatis studioſos.* Et hæc mea est, coniuncta tamen cum
tertia, quam vsus loquendi suggerit, & tunc rusticus idem
est, ac homo obscuro loco natus.

§. V.

Hinc etiam per eruditos intelligo, non eos, qui iuxta Casaubonum in adnotation. ad Sueton. August. cap. 89. φιλολογιαν i. e. historiæ & rerum antiquarum cognitionem callent. Tantum enim abest, vt eruditæ nomen sotii critico proprium esse putem, vt potius hanc gloriam ipsi multoties non deberi adstruam, & quidem, si modo in variis scriptorum lectionibus colligendis, aut censendis sit occupatus; siue in librorum foliis, lineis, vocibus ac syllabis numerandis desudet; sicuti hæcce eruditio haut immerito (salua tamen manente genuinæ criticæ laude) a Clarissimo Rechenbergio, Lipsiensium Theologo, lib. de studiis Academic. cap. I. §. 7. inanis nuncupatur. Accipio hoc loco natuum huius vocis significatum, vbi denotat eos, qui sedula linguarum, artium liberalium atque scientiarum, omniumque rerum, huc spectantium, cultura animum per

(II)

perficiunt, eoque ipso supra vulgi conditionem adsurgunt. Nam iuxta Popmam lib. 2. p. 65. de different. Verbor. significat eruditus, qui aliqua humanitate est imbutus, quasi minime rudis.

§. VI.

Explicatis itaque terminis rem ipsam aggredior, ostendendo, istiusmodi in hac rerum vniuerfitate inuentos fuisse, qui, licet opus agriculturæ tractarint, ob ingenii excellentiam, animi capacitatem studiis, litteris rebusque humanioribus dediti ipsas excoluerint. Quod quidem multis mirum videri posset, vti etiam Iano Nicio Erythræo, qui, cum Io. Dom. Peri vitam describere vellet, hæcce verba Pinacotheca altera vit. XXVII. legimus, scribit, sepe numero in historiis, non neminem ab agro & ab aratro, summa totius populi Romani voluntate atque consensu accersitum in urbem, qui consulari imperio rem gereret, vel dictatoris auctoritate ac nomine aut hostibus bellum inferret, aut eorum vim conatumque repelleret, aut in rebus dubiis consiliique egenis daret operam, nequid Res publica detrimenti caperet. Verum numquam, quod quidem me legisse vel audiuisse meminerim, traditum memoria ac litteris est, ab Apolline & Musis rusticanos homines atque pastores iussos fuisse, depositis rastris atque ligonibus, plectrum ac lyram & tubam etiam summorumque virorum laudes ac bellorum tumultus non solum sylvis, verum etiam urbibus ipsis admirantibus canere.

§. VII.

Sed vt ordine atque decenter procedam, perlustrandi ii primum erunt, quorum Sacrae Paginæ mentionem iniiciunt. Occurrit itaque loco primo primus omnium, qui viuunt, vixerunt & vieturi sunt, parens Adamus; & quidem non sine causa eum hoc referto. De eo enim intelligo quoque istud agriculturæ elogium, quod B. Gerhardus habet obseru. 2. pag. 254. comment. in cap. 9. Genes. *Agricultura est vite genus antiquissimum, a Deo ipso institutum, Patriarchis familiare, amoenissimum & utilissimum, quia*

sanitatem tuerit, fruges procurat, meditationi rerum naturalium inservit, siveque ad Dei cognitionem dicit. De cuius nomine varias habuerunt cogitationes Augustinus & Cyprianus, cum per Cabalam euincere ex eius nomine satagerent, eum esse totius terrarum orbis parentem. Quis nescit, inquit Augustinus, quod de Adamo exorta sunt omnes gentes? Et in eius vocabulo quatuor litteris quatuor orbis terrarum partes per gratas appellaciones demonstrantur. Si enim grāce dicantur oriens, occidens, Aquilo, Meridies, sicut eas plerisque locis sancta Scriptura commemorat in capitibus verborum inuenis Adam. Dicuntur enim grāce quatuor memorata mundi partes: αρτολη, συσις, αριτος, μεσημβρια. ista quatuor nomina, si tanquam versus quatuor sub inuicem scribas, in eorum capiibus ad am legitur. vid. Dilher. Elect. cap. 19. p. 526. vbi etiam iudicium B. L. exspectabit. collat. Io. Iac. Schudt. Trifol. Ebr. Philolog. p. 190. Sed hæc εις επαρσων. Lingua enim Ebraea adcuratiorem nominis deriuationem suppeditat, quando deriuat ab בָּרָן non a significatione ruboris: sed ab ea, quæ adhuc apud Aethiopes frequentissima, vbi notat pulcrum, formosum esse, ut terra, tanquam pulcherrimum Dei opificium ab ornato, ut νεομος apud grācos, nomen habeat. vid. lob. Ludolfi Hist. Aethiop. lib. 1. cap. 15. et D. Maii dissert. S. Loc. IV. §. 14 p. 267. Ex hac itaque terra Adamum Deus creauit ad imaginem suam Gen. 1. v. 27. quæ imago consistebat in sapientia intellectus, sanctitate & iustitia voluntatis Ephes. 4. v. 24. ita quidem, ut DEV M recte colere, mortem vitare, omniumque rerum affluentia vti potuisset. Eam ob causam tradebat ipsi DEVS hortum Eden colendum custodiendumque, ex quo, quidquid modo expeteret, vna saltim arbore excepta, omnia in suam utilitatem petere posset. Hisce peractis,

Cum prorepserunt primis animalia terris,

Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter, necessum erat, ut animalibus a DEO creatis nomen impuneretur; ideo duxit DEVS ea ad Adamum, ut videret, quomodo sit adpellaturus Gen. 2. v. 19. nominibus ergo ornatuit

nauit bestias, quæ ipsarum essentia atque naturæ erant congrua. Id quod non mirandum, licet os illud Romanæ Eloquentiæ lib. I. de inuent. illum prudentem & ingeniosissimum adstruat, qui rebus omnibus nomina imposuisset, cum diuina virtus, qua pollebat, tamquam causa prima hoc in opere manus admoueret. Nam ante lapsum non alia, nisi infusa statuenda scientia eruditioque; quod ex ipsius creatione patet; creatus nimis erat ad imaginem DEI perfectissimam, nunc non est dubium, quin cum ista perfectione coniuncta fuerit scientia quædam supernaturalis, & artes atque scientias infuse uno momento acceperit.

§. VIII.

Posteaquam vero, quoniam seductus ab uxore peccatum perpetrauerat, comedendo ab arbore vetita, ex diuino humanus factus, & cum amissa imagine Dei omnes virtutes diuinas, sanctitatem, perfectionem & iustitiam amisit. Id quod Io. Bapt. van Helmont. in intellectu eius Academic. p. 561. sibi persuadere nequivuit, Adamum omnia perfectissima dona, supernaturalem scientiam per escum mali perdere potuisse, quam obiectionem meam hic non fecio. Quin potius audiamus Polydor. Virgil. lib. I. de rerum inuent. cap. 3. p. 14. *Homines, inquit, omnis rei experentes, nulloque subsidio fuli duram agebant vitam, sed paulatim meditando exuderunt artes.* Videt unusquisque Virgilium hic loqui non de statu ante lapsum, quo nullo studio, diligentia anxietateque in excogitandis rebus opus erat, sed de statu post lapsum. Id sane certissimum, quod post lapsum scientiam summo studio operaque sibi acquirere debuerit, cum antea per solam influentiam, quidquid nouerit, cognoverit. Quemadmodum vero iuxta Ciceronem in orat. pro Archia Poet. p. 467. studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium & solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur; ita de-

nouo studiis incubuisse atque naturæ Phænomena obseruasse, verosimillimum est. vid. Paullin. Zeitkühende erbauliche Lust. Part. III. p. 707. Quod vero quædam de creatione retinuerit, ex Kirchero videre est, qui in Obelisc. Pamphil. cap. I. lib. I. ita scribit: tradidit Adamo Deus XXI. paginas suis exaratas & incisas litteris. Fuit hic primus liber & prima lingua conscriptus. Continebat autem præcepta & traditiones in generatione secuturas, & interpretationem litterarum, pacta, statuta & promissiones & historias mundi totius exhibebat. Et representauit Deus excelsus in hisce generationes hominum singulas, & figuræ eorum & directiones eorum cum regibus eorum, cum omnibus & singulis, qua in terra gererentur, usque ad cibos & potionis. Deinde, cum Adam vidisset in hisce ea, que filii suis debebant accidere, fleuit planetu magno. Tunc præcepit illi Deus, ut scriberet ea calamo. Et accepit pelles & pecoribus, & preparauit ipsos, usque dum fierent albi, & scriptis in eis XXIX. litteris. vid. præfat. Mader. de Script. & Bibliothec. ante Diluvian. p. II. collat. Dieteric. Lection. Quotid. Cent. VIII. num. 9. p. 437. ex quo constat, eum quædam retinuisse, quibus historia totius mundi, pacta & præcepta continebantur, et sine dubio ex hisce paginis ea, quæ acceperat, referre potuerit, vna cum inuentis nouis, quæ summa cum cura ac diligentia excogitasset. Cum quo consentit Victorin. Strigel. in orat. de Adamo p. 320. Cum Adam, inquit, ante lapsum adspiciens totum cali & terra opificium multa intellexerit, quæ postea homines acie mentis penetrare non poterant, non dubium est, eum semina doctrinarum de Deo, de cali motibus & de rebus nascientibus tradidisse posteris. & post paulo pag. 331. pergit: Quoties Adam conuocauit suam Ecclesiam, non tantum sacrificauit, sed etiam recitauit initia creationis, lapsum hominum, & promissionem. Quod vero de nouo studiis incubuerit, nouasque res inuenierit, testatur Christianus Thomasius, Iureconsultus Hallens. in introductione ad Philos. Aulicam p. 6. adstruens, Adamum post lapsum sanam & sobriam philosophiam docuisse liberos suos. Quam ob rem primus & inge-

niosissimus Philosophus adpellatur a citat. Paulino p. 707. Athanasius quoque Kircherus, celebris e Societate Iesu Mathematicus & Philologus, in Obelisc. suo Pamphil. lib. I. de litterarum & obeliscorum origine cap. I. p. 5. scriptorem quempiam adserit Hispanum, Thomam Torquemade, quem in Hexaemero suo, ex Thomae Aquinatis libro de ente & essentia meminisse dicit codicis cuiusdam ab Adamo conscripti in lingua Ebræa, de omnibus & singulis mundanarum rerum virtutibus: *Protoplasmum namque præsagum mundi per diluvium perituri, ne aries & scientia una cum humano genere extinguerentur, laminis Saxeis easdem incisæ cistæ lateritiae contra aquarum vim inclusæ, ut ea inuenientia apertaque filii posteri haberent, quo imbuerentur.* Mercurium tandem Trismegistum illum codicem suis temporibus inuenisse, indeque scientiam illarum rerum omnium mirabilem, quam in operibus eius etiam nunc veluti scintillis relucentem videmus, hauisse; immo Thomam hunc et librum vidisse legisse, cuiusque usu multa admiranda praestitisse. Verum cum hoc B. L. discutiendum relinquam, haec de Adamo enique Eruditione dixisse sufficiant.

§. VIII.

Excipit hunc filius suus primogenitus Cain, quem Agricolam fuisse Sacra Scriptura adfirmat Gen. 4. v. 2. כָּנָעַן וְקָינָן & Cain fuit colens terram. Quod tamen non fortuito, sed hortatu Parentum elegisse creditur. via Gerhard. Comment. in h. l. Ipsum insuper multarum rerum inventoren fuisse, facile colligi potest, si modo quis animo & cœtitatione complexus fuerit, quæ & qualia ad vitam agrestem degendam pertineant, (volunt enim quidam derivare agrum ab αγρῷ, ita quod in eo multa sint agenda.) Nonne Caino instrumenti aliquæ ad terram colendam apij inventionem adscriberem? cum tam vtile atque necessarium sit ad colendam terram, quam quod utilissimum, & quoniam erat Agricola, non potuit sibi non fabricare instrumentum, cuius ope posse terram, alias in cultam, cultam reddere. Hoc ipsum instrumentum,

ad

ad terram colendam inuentum, absque dubio occasionem postea dedit inueniendi aratrum. Cuius aratri utilitatem secum computans Iul. Cesar Scaliger, ita artificiose descripsit:

Oregero gladium, matrisque in pectore condo,
Vi mea, que nunc sunt mortua, viua colas.

Dux meus a tergo est, caudaque trahens retrahensque
Hasta, non me ut ea verberet, ast alios.

vid. Heidsfeld. Sphinx. Theol. Philosoph. cap. 7. p. 165. Cainum etiam pondera & mensuras reperisse, auctor est Polydor. Virgil cap. 19 lib. 1. p. 77. Ex quibus satis constat Cainum nomen eruditum tenere potuisse, cum Mathesin caluisse vero simillimum; ubi nempe de pondere & mensura Architecturaque agitur. Hac de Caino.

§. X.

Sequitur hunc Sethus, quem in Eruditorum rustico-
rum numerum reverendum censeo, licet de ipsius vita ne
Scriptura S. tradat. Credibile vero, istum parentibus ac
fratribus in opere ad rus pertinenti adstipulatum fuisse,
cum pauca alia negotia tun. temporis adfuisse constet. Eo
enim tempore

Quo sodiebat Adamus humum, & filium Eva trahebat,
sicut nobilis nullus, quod vernacula Rhythmis iactitare
solemus:

Da Adam hact'ind Eva spann/
Wo war damals en Edelmo.

ita nec princeps, aut Rex uspiam f... Quod vero eius
eruditionem concernit, f... litterarum esse inuen-
torem de celo serrante & Astronomia operam nauasse. Id
quod Iosephus, Antiquitatum Iudaicarum Scriptor lib. 1.
cap. 3. p. 7. & 8 editionis, qua cum docta præfatione Ve-
nerabilis Trigii, Lipsiensium Theologi, prodiit, refert:
τραφεις οἱ Σῦνοι, καὶ παρελθων εἰς πλησίαν ποντα καλα κόμινον δια-
τημενοι αριγη επειδεύσει. καὶ οὐρανοι ουτοις αριστοι μητι-
τας αυτοι τις αποζοντες πατελιπεν. οἱ δὲ πάντες αγαθοι φυγεις,

21478

γην τε την αυτην ασαριασοι κατωκιπαρτες ευδαιμονισαν μιδεο
αυτεις αχει τελευτης μυσικολης προσπεισοντο. σοφιαν τε την περι τω
κρατης, καλ την τυτην διακομητιν επενοσαν. οπερ δε την μηδια
φυγειν της αυθωνης τα ευρηματα, μη δε πριν εις γνωσιν ελθειν
φθαριναι προειρηκοτο. αφανισμον Αδαμης των ολων εσιθει, τον
μην κατ' ιχνην πυρο, τον οπερερ δε κατα βιαν και πλινθο. ιδια-
το, ειλικρινεις μηδια ποιησαμενοι, την μην εκ πλινθη, την δε φερειν εκ
λιθων, αμφοτεραις ενεργειαν τα ευρηματα, ινα και της πλινθης
αφανισθεισης όπο της επομβριας η λιθινη μειρατα παραχει μαστιν
τοις ανθρωποις τα εγγεγραμματα.

*Quæ verba Freculphus,
qui aliis dicitur Treculphus, Lexouienensis in Gallia Episco-
pus, tom. I. Chron. lib. I. cap. 2. ita reddidit : *Sethus adulterus,
vbi ad eam atatem peruenit, ut iam, que bona essent, discernere posset,
virtutis studuit, & cum esset vir egregius, imitatores sui posteros reli-
quit. Illi autem omnes, cum boni fuissent orti, in eadem terra sine a-
liqua vexatione viuentes felicissime commorati sunt. Disciplinam
quoque rerum celestium, & ornatus earum primitus inuenierunt.
Ne autem inuenta ab hominibus dilaberentur, aut antequam veni-
rent ad cognitionem, deperirent : cum prædixisset Adam extermina-
tionem rerum omnium, vnam ignis virtute, alteram vero aquarum
vi ac multitudine fore venturam, duas facientes columnas, vnam qui-
dem ex lateribus, alteram vero ex lapidibus : in ambabus, que inue-
nerant, conscripserunt, ut & si constructa lateribus exterminaretur ab
imbris, lapidea permanens præberet hominibus scripta cognoscere,
& post paulo hæc in textu sequuntur : *Διπλεσα, και πλινθινη
δι' οπ' αυτων ανατηναι μεν δι αχει της Δινογο κατα την Συρια-
σα : manifestans etiam lateritiam ab eis fuisse ereclam. manet autem
ad hunc usque diem in Syria.***

§.xi.

Eadem fere cum Iosepho denarrat Eustathius, illustris
Homeri Scholiastes, in commentario ad Hexaemeron p. 47.
cuius verba, quoniam cum modo dictis ferme conueniunt,
breuitatis causa adlegare nolui. Neque vanam esse
traditionem credit Georg. Hornius, medicæ artis apud Ba-
tauos

tauos Doctor & Professor Lugdunensis in Histor. Philosoph. cap. 2. lib. VII. p. 233. tum propter auctoritatem Iosephi, tum eius ~~auto~~^{laur}, quippe qui vnam harum columnarum suo adhuc tempore in Syria extitisse, & a se visam esse testatur. Quod vero attinet res columnis inscriptas plurimæ hic atque diuersæ occurunt sententiaz. Iosephus & Eustathius loc. citat. Zonaras Anual. tom. I. p. 9. Cedrenus in compend Histor. n. 10. p. 8. aliquie siderum motus & obseruationes Astronomicas ferunt inscriptas, quibus Musicam, Phyficam, Mathematicam, Nauticam, diuinationes, ritus, rem pecuariam, ferrariam, bellicam, artes denique omnes liberales & Mechanicas addere non dubitant. Petrus Leo de Casella tractat. de primis Italæ colonis, qui reperitur in Thesauro Antiquitatum & Historiarum Italizæ Ioan. Georg. Grævii tom. I. p. 14. Hartmann. Schedelius in Chronic. Mundi fol. 10. Iac. Phil. Bergomas lib. I. Chronic. quod supplementum supplementi inscripsit, fol. 2. Marian. Scotus lib. I. Chronic. cap. XI. qui etiam idololatriam & artem Magicam substituit.

§. XII.

Refero huc etiam Iacobum, quem, quoniam ex Scriptura S. notum est, extitisse hominem de plebe, pluribus id deducere nolo. Ipsius admirandum factum Physicum id eo ponderandum, quod extat Gen. cap. 30. v. 27. & seq. Laban ipsis per pactum promiserat, quod oues, quas grex laturus esset, diuerso atque maculato colore notatas, suo grangi adscriberentur. Computans itaque, qua ratione fit effecturus, ut maxima pars ouium diuerso atque subnigro colore notarentur, excogitauit eum in finem hoc stratagema physicum; vti nominatur à Franz. Histor. Animal. P. I. cap. 1. p. 3. Totam autem Historiam vulgata versio ita reddidit: Tollens Iacob virgas propuleas, virides, & amygdalinas, & ex planis, ex parte decorticauit eas: detractisque corticibus, in his, que spolitaria fuerant, candor adparuit: illa vero, que integra fuerant

fuerant, viridia permanerunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & parerent maculosa & varia diuerso colore respersa. Circa hunc locum varix atque diuersæ cogitationes occurrunt. Iudæi huius summa digni admiratione actus rationem in Mosæ baculo querunt, memorante Hakspanio de Cabbala §. 29. p. 305, Verum contextus ipse de multitudine versicolorum virgarum docens, manifestæ eos absurditatis arguit. Non minus censentur absurdii alii Ebræi, qui mixtum actum, miraculose & naturali facultate factum indubium vocant. vid. Petr. Martyr. Comment. in h. l.

§. XIII.

Evidem Theodoretus, Cyri in Syria Episcopus, inh. l. quæstion. 88 p. 95. videtur hunc effectum vnicæ diuino Numinis adscribere velle, sic ratiocinans: quemadmodum Iacob, cum procreandorum liberorum desiderio tenebatur, spem procreandæ sobolis non posuit in nuptiis, sed in Deo, qui nuptias legibus sanxit: sic & virgis corticem detrahit, non illis quidem confidens, sed opem diuinam expellans. Cui sententia ex aſſe subscribit, aurei oris Ecclesiæ pater, Chrysostomus homil. 57. statuens, hunc effectum non fuisse iuxta naturæ ordinem, sed valde admirandum, & naturæ modum transcendentem. Ac totum hoc factum esse, vt iustus re ipsa compertum habeat DEI erga se prouidentiam, & Laban liquido cerneret, quantum DEI gratiam Jacob haberet. Huic sententia ingeniosissime etiam suffragari videtur Augustinus Tom. 3. lib. 3. de Trinit. cap. 8. p. 94. docens, aliud esse ex summo ac intimo causarum cardine condere creaturam, quod qui facit, solus creator DEVS est: aliud pro distributis ab illo viribus & facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere, vt tunc vel tunc, sic & sic exeat, quod creatur. Hinc inquit, nec Iacob creator colorum in pecoribus fuit, quia bibentibus in conceptu matribus variatas virgas, quas intuerentur adposuit: nec etiam

etiam ipse pecudes treatrices fuerunt varietatis prolis sue. Dass auch dieses natürlich sey und geschehen habe können, ist gar kein Zweifel. Dein da lehren uns nicht allein die Naturkundiger, sondern es weiset es auch die Erfahrung, dass die Phantasie bey der Empfängnis unter Menschen und Thiere viel thue, durch die Einbildung geschiehet es, dass der Leib eine Veränderung empfindet, wie man siehet, dass, wenn mancher sich vor was entsetzt, oder Abscheu hat, sich die Natur erreget und schüttert. vid. Misand. Delic. Bibl. V. T. p. I. p. 805. Videntur ita ci-tati Auctores inter se dissentire, verum ista dissensio facilis negotio tolli potest, si adsero, Iacobum tamquam causam promouentem ouium genitrix succurrisse. Nam quamuis Iacobus multoties virgas decorticatas ante oculos bibentium ouium posuisset, & DEVS non dedisset incrementum, factum suum fuisse irritum, testante Scriptura S. quod sine DEI auxilio nihil valeamus. Manet proinde Iacobum tamquam bonum Physicum prospexit, quod si hasce virgas ante oculos bibentium ouium esset positurus, quanta in ipsis sic futura imaginatio. Quantum autem polleat imaginatio, nemo forsitan ostendere poterit, quoniam haec vis ~~curas et cura~~ non minus admirabilis, quam prodigiosa, atque nemo fuit, qui huc usque in reddenda causa operum adeo mirabilem per eam effectorum vehementer non sudauerit, teste Kirchero Magnit. lib. 3. part. 7. cap. 7. p. 726. Questio etiam circa hunc locum ventilari solet, vtrum iuste, an iniuste fecerit? quoniam vero institutio non permittit, circa hanc rem diutius commorari, aliis id diiudicandum relinquam; qui vero legere de hac questione quædam auct, adeat Danhauer. Lac. Catechet. P. II. pag. 324.

§. XIII.

Quodsi apud animum statutum deliberatumque haberem, prolixitati inseruendi, plura exempla Nox, Abrahami, Mosæ, Amos, reliqua adlegare possem; verum quoniam

niam temporis & carta ratio habenda, actum exemplarum, de quorum eruditione nostra sibi tempora gratulata sunt, subiectam.

§. XV.

Venit itaque primo loco Hesiodus, qui alias Ascræus Poeta dicitur, a pago siue oppido Ascra Beotia, iuxta Nasonem lib. 4. de Ponto:

Intumuit Vati nec tamen Ascra suo.

Hunc pascentem pecus Musæ dono calamorum Poetam fecisse dicuntur. Quod quidem mirum alicui videri, atque obiicere posset, ita est in proverbio: Poeta non fit, sed nascitur. Verum hisce sic obiicientibus occurrit Taubman. in prefatione in Culic. Virgil. adserens, duo esse genera Poetarum, quorum alteri non opinanti, aut simpliciter invocanti adueniret vis illa cælestis, quo in numero sit locandus noster Hesiodus; alteri vero meri exhalatio largiretur vim illam diuinandi, quales putarentur Homerus & Horatius. De Homero constat illud tritum:

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

Horatius ipse in Epistola quadam canit: *nulla placere diu nec carmina viuere possunt, quæ scribuntur aquæ potoribus.* Prioribus ita adnumera turbauit immerito Hesiodus, quem Poetæ nomine & omniè insigniri Musæ cupuerunt, tum propter ingenium, quod aptum ad res nimirum istas, quæ concernunt Poeticam, tum propter donum supernaturale. Id quod ipse in Theogonia canit:

Ἄντε ποτὶ ἱστορεῖ πάλιν εἰδιδαχεῖν αὐτοῖς οὐ,

Ἄγρας τοιμαζεῖς εἰς ιωνῷ ὑπὸ ζεύοιο.

He prius Hesodo, tenues cum pasceret agnas

Monte sacro, pulcram dederant ad carmina vocem.

vid. Taubman. Adnot. in Culic. Virgil. p. 144.

§. XVI.

Huic adnumeratur Io. Dominicus Perus, cuius supra §. VI. mentionem feci. Hic anemine doctus, nullis-

que poeticæ facultatis præceptis eruditus, inter montium asperitates syluarumque recessus, vel inter ouium greges, incredibili quodam motu celeritateque ingenii tam magnum numerum versuum dixit extempore, litterisque consignatum posteritati mandauit. Cuius vitam, quia præ ceteris obseruanda, ex supra allegata Erythræi Pinacotheca altera vit. XXVII p. 88. & seq. huc adponamus. *Hic orius est Arcidosfi, quod est oppidum nec obscurum nec humile in montibus, Senarum diioni imperioque subiectis, honestis parentibus, quorum, quamquam effent res pauperculæ, ac ruri opus faciendo vitam parce ac duriter agerent; non cessabant tamen filium ad Magistrum in oppidum mittere, ut litteras disceret. A quo Magistro, die quodam acriter vehementerque obiurgatus est, atque etiam verberatus, quod neglexisset imperata memoria mandare.* Sed cum condiscipulum quandam vidisset, ob eandem causam, alterius humeris tamquam equo impositum, saeuus verberibus adfici, pœna eiusdem meiu perterritus, quam Magister eidem minitabatur, nisi posthac diligentius, dictata memoriter retulisset, suum in prediolum reuersus est; unde, cum parens vterque, qui exierant in opus, abesset, modicum illud atrii ac duri panis, qui in arca adseruabatur, extraxit, atque ita viaticatus se fugè mandavit, ac triennium totum in locis solis atque desertis, hominum societatem fugiens, vitam ferarum more traduxit. Solum iis mensibus paullum se opilionibus & caprariis in conspectum dabat, quibus castanea, quarum ea regio est serilissima, nusquam inueniebantur. Et paulo post: interea est inuentus a Patre, cuius querendi nullum modum fecerat, & suum in prediolum multis blanditiis reductus. quem postea ille non amplius in ludum misit, sed docuit bubulcari, & quotidie in opus mercede mittebat. Inerat puero illi ingenium non solum elegans, sed etiam poeticum, quo se aduersus faciendos acriter incitari impellique sentiebat. Quamobrem, cum non posset se continere, naetus est ab iis, quibus operas suas locabat, paullum atramenti, quod in frustulum arundinis, à se in vasculiformam redacti, indiderat, calamum & cartam, queque inter aran.

arandum cogitauerat, cum boues labore defesisti, constitissent, scripto mandabat. Pergit deinceps Erythræus, quod interdiu agro- rum cultioni, noctu carminum scriptioni operam dedisset; sed præsertim fabulas pastoritas seu Eclogas scriptisisset. Et quod eam tandem facultatem consecutus fuisset, ut eius in dictandis versibus celeritatem amanuensis, qui eos exce- pisset, adsequi non potuisset. Plura videantur apud cit. Auctorem.

§. XVII.

Hisce denique subiungo Nicolaum Schmid, dictum alias Cünzel von Rotenacker. Auctor Deliciarum Biblicarum, qui se Misandrum adpellitat, eum Dresdæ in collegio quodam Ebræo, sub præsidio M. Ioan. Bohemi, philologi celeberrimi, nec non Lycei Dresdensis tum temporis Rectoris, oculis suis ipsissimis vidisse testatur, qui quoque istius exemplum tamquam præ reliquis aduertendum adfert in Del. Bibl. V. T. P. I. p. 685, cuius vitam ex oratione funebri à Valentino Müllero 1671. ipsi habita excerptissime se adfirmat. Quod vero curriculum vitæ Excellentissimus Struuius Patronus atque Hospes meus singulariter colendus in Act. Littere mss. erutis fasc. r. p. 188. latinitate donatum ita alle- gat. *Natus est Nicolaus Schmid in pago quodam territorii Comitium Ruthenicorum, dicto Rotenacker, hanc procul Gera sito, d. 20. Ian. patre Martino, matre Kaumleria, rusticus illius loci. Avum habuit dictum Conradum, quem pro more rusticorum olim adpellare solebant Cünzel, inde toti familiae & hinc nostri quoque ab aucto nomen, adhuc hodie posteris seruatum. In prima iuventute ad continuos labores paganos adactus fuit, ita ut annum iamdum agens decimum sextum ne legere quidem sciret. Annus agebatur 1622. cum forte fortuna pater Mariinus seruum acciperet, qui aliquam litteras germanicas legendi habebat peritiam, a quo prima accipiebat litterarum initia, irato sepe patre, qui hoc ipso laborem necessarium negligi ratus. A labore tamen hoc fato noster abstrahebatur, cum aliquo dolore & malo inpedibus adfligeretur, ita, ut pater ipsi labores solitos remit-*

remittere cogeretur. Occasionem dabat hoc Nicolao perueluendi atque continua manu primum litterarum rudimenta, inde catechismum aliosque libros versandi, atque ductu serui ante dicti priora Euangelia absoluuit. Sed cum neque hic ipsius praeceptor satis calleret singula, sacerdotem, ubi pro concione verba faceret, sedulo audiuit, inque pronunciationem vocum difficiliorum ab ipso factam diligenter aduerit. Immo nihil magis in voce babebat noster, quam ut saltim libros germanicos legere posset, quod ipsi non coniigit solum, sed etiam linguas plures alias noscendi. Vix addidicerat lingua germanicam, cum progressus vltiores faciendi summo teneretur desiderio. Scripturam itaque germanicam & prima lingue latine rudimenta adgressus, ad quod beneficio notarii cuiusdam, ipsius adgnati, ductus fuit, ita, ut que non adeo difficultia ex lingua latina quoque intelligeret. Non contentus autem noster binis hisce linguis primariis, animum quoque applicuit ad litteraturam alias gentium, ita, ut litteras grecas & orientales plerasque Ebraeam, Syriacam, Arabicam, Persicam, Armenicam, Aethiopicam, aliasque quamplures & legere nosset & scribere. Testantur id tot monumenta ipsius manu propria descripta. Sed preter hanc litterarum notitiam medicinam quoque adiunxit, atque Astrologiam, in qua tantum profecit, ut astrorum figuras non solum sine ulla hominis institutione addisceret, sed etiam planetarum motus cognosceret. &c. Præterea constat, eum a prima statim aetate talia non egisse, atque studiis operam nauasse, sed usque ad annum ferme quinquagesimum laboribus rustici vacasse, nisi quod inter comedendum librum semper penes se habuerit, in quo legeret. Immo relatum legimus, characteres litterarum peregrinarum in horreo ubique habuisse descriptos, in quibus se etiam inter tritandum exercuisse, eosdemque sibi reddidisset familiares, libros alias, horis diurnis laboribus destinatis, nocturna manu versans. Orationem Dominicam LI. linguis conscriptam reliquit. Plura, qui desiderat, consulat cit. Auctores.

§. XVIII.

Neque desunt exempla eorum, qui quidem vili nati sunt

sunt loco , ad magnam tamen adsurrexerunt Eruditionem ,
 vt secunda vocis rustici acceptio fert . Quem enim latet
 Pythagoras , ex insula Samo oriundus ? hunc Mnesarchi an-
 nulorum sculptoris filium ferunt , vid . Diog . Laertius lib .
 VIII . p . 475 . quem non nominis solum inuentorem (scil .
 philosophia) sed & rerum ipsarum amplificatorem nominat
 Cicero lib . V . Tusculan . Quæstion . Hic ob μετεπλυχωσιν v-
 bique locorum celebris . vid . Scheurl . Bibliograph . Moral .
 § . XIII . & seqq . Nonne nouimus Demosthenem fabri fili-
 um ? qui tamen euasit summus Philosophus . vid . Textor .
 Officin . p . 395 . Plautum interdiu pistori auxiliares adhibu-
 isse manus ; noctu vero studiis operam dedisse ad lucernam
 legimus . Neminem fugit Epicetetus , Philosophus Hiero-
 politanus , qui Romæ seruuit cuidam Neronis familiari E-
 paphroditu vid . A . Gellius lib . 2 . c . 18 . in tanta vero deinceps
 apud omnes admiratione fuit , vt memorie proditum ,
 lucernam eius fictilem tribus drachmarum venisse milli-
 bus .

§ . XVIII .

Quis est , cui non constet exemplum Desiderii Erasmi ?
 quem ex complexu furtivo conceptum tradunt scriptores .
 Pater eius ad vitam sustentandam Amanuensis locum occu-
 pare coactus . Filius , quoniam a primis annis magna eru-
 ditionis futuræ specimina ediderat , commouit Rudolphum
 Agricolam , vt sequens encomium in ipsum eructaret : Tu
 eris olim magnus . Dictum , factum . Nam scriptis suis eru-
 ditissimis nomen suum immortalitati tradidit , ita , vt nulla
 eius nomen sit obscuratura obliuio . vid . Aubertus Miræus
 in Elog . Belg . Clarmund . Lebens - Beschreibung gelehrter
 Männer . Elogia huius apud louium quasi in compendio
 offendes .

§ . XX .

Locum hic quoque habere posset Benedictus Baldu-
 nus , patria Ambianus . Erat non sutoris solum filius , sed &

patri in officina adminiculatus est. Propaginis suæ non immemor scripsit tractatum de calceo antiquo & mystico. vid. M. Vigneul. Maruille in Melanges d'histoire & de literature p. 118. vol. 1. quem tractatum recensuit Clarissimus Eccardus h. t. in Academia Iulia Historiarum Professor P.O. in monatlichen Auszügen aus gelehrten Büchern de anno 1700 Mens. Ianuar. p. 19. vbi etiam recenset Nicolaum Borbonium Poetam latinum, quem fabri ferrarii filium fuisse adfirmat, scripsisse etiam poema quodpiam, quo eleganter expressisset, ut patrem in opificio adminiculatus fuisset. Libro poematum inscripsérat titulum: *Nugæ*, in quem titulum Bellaius sequens epigramma perfecit:

Paule tuum inscribis Nugarum nomine librum.

In toto libro nil melius titulo.

§. XXI.

Silento prætereo Ioannem Baptistam Gallum, futorem Florentiæ, qui dialogos Luciani æmulatione conscripsit, de quo vid. citat. Auctor. & Thuan. lib. XXX. Wolfgangum Musculum, qui vitam opere manuario textrinam exercens tolerauit: postea vero animum ad litteras adpulit atque evasit summus Theologus, eius Loci communes Theologiæ &c. adhuc hodie extant. vid. Adam. Vit. Theolog. p. 367. Martinum Chernnitium, Iacobum Böhmiū, quorum exempla sunt notissima.

§. XXII.

Neque præteremndus Simonille Atheniensis, de quo Diogenes Laertius lib. 2. p. 146. sequentia refert: Σίμων, αὐτούς, σιγοτομός. ὥτε ερχομένη Σωκράτες επὶ τὸ εργαστήριον, καὶ διαλεγομένη τινα, ὡς ἐμμονευεῖ ὑποβικτικῶσσεis εποίειτο ὅτι οὐκ επιτίκης αυτεῖ ταῖς διαλογίαις καλεσθεῖ. είσι δὲ τέσσες καὶ τριηκονταὶ εν ἑταῖροι βιβλιών περὶ θεῶν, περὶ τελετῶν, περὶ τεκμηλῶν. ὥτε Φαῖτι πρωτότοτος διδεχθεῖ ταῖς λογικαῖς ταῖς Σωκρατικαῖς. επιτηγγειλαμένη δὲ περικλεῖς Θεοφόνων αὐτοῦ, καὶ κελευοντος απίστοι πρόσωπον, εἰ αὐτῷ, την παρεκπειαν αποδεῖται. Simon A-

116-

theniensis, coriarus. Quoies adeius officinam perrexisset Socrates, aique differeret, omnia, qua meminisse poterat, notabat. Unde & ipsius dialogos Σοκοτικού appellant, quod inter huiusmodi sint habiti. Sunt autem numero XXXIII, qui uno iuidem codice comprehenduntur. De Diis, de bono, de honesto. Fertur hic primus omnium Socratis sermones differuisse. Cum autem Pericles pollicaretur, si ad se veniret, cuncta illa necessaria exhibiturum, libertatem (inquit) vendere consilii non fuerit.

S. XXIII.

Notandus quoque Franciscus Minert, cuius mentionem iniicit cit. Misander. p. 718, si ita scribit: Es kam eins mahls einer vor mein Hauss / Franciscus Minert genandt / der übergab mir einen Bogen geschriebener lateinischer Verse / mit Bitte ihm ein Viaticum zu verehren / unter den Versen stunde: wenn jemanden ein Thürkischer oder Asiatischer Discurs beliebte / wäre er bereit dazu. Ich redete lateinisch mit ihm / da er sich denn so heraus ließ / daß ich über den Mann erstaunete. Er kunte Arabisch / corrupt Griegisch / perfect Lateinisch / nett Frankösisch / Englisch / Holländisch / Spanisch / Italianisch. Er war zu Constantinopel 5. Jahr ein Dolmetscher gervesen / hatte die heilige Dörter des gelobten Landes besuchet / er hatte in die 15 Jahr als ein Soldat zu Wasser und zu Lande gedienet. Dieses Mannes Wissenschaft war so unvergleichlich / daß sie mit keinem Gelde zu bezahlen war. Atque his etiam iungere possem alias e. g. R. Petachias Ratisbonensis mentionem facit in Itinerario suo nonnullorum, de quibus dicit, haut quemquam in vniuersa Babylonia, Assyria, Media ac Persia ex imo plebe reperire esse, qui non teneat XXIV. Scripturæ libros, quorumque insuper puncta, anomalias & quæ deficiunt ac redundant, litteras, minime sit edoctus &c. quorum fontes Rabinicos, qui desiderat, adeat Celeberrimi Wagenseilii Exercitationes VI. & quidem in specie IIII. p. 174. Itidem possem hoc referre ipsum Sextum V. Papam, cuius Parentes conditionis erant insimz, in pau-

pertate nati , adeo , vt ipse de generis statusque sui humilitate tenuitateque verba faciens dicere soleret , se domo natum inlustri ; domus enim , in qua genitus erat , cum lacero tecto magna parte esset discooperta , a sole maxime inlustrabatur . vid. Platina in vita Sixti V. & Micraelii Historia Ecclesiastica , quæ cum continuatione Hartnacii prodiit , p. 807. Possem etiam commemorare Aeneam Sylvium , de quo constat , quod fuerit scriba & abbreviator in concilio Basiliensi , teste cit. Micraelio p. 552. qui quoque omnia ruris officia ob inopiam subire est coactus , testante William Cau in Historia Litterar. appendic. p. 114 ; attamen non ad Eruditionis arcem solum aduolavit , quod scripta eius indigitant , sed & Papa Romanus declaratus , nomenque accepit Pii II.

S. XXIII.

Denique quod concernit modernos rusticos , non quidem omnes , plurimos tamen , nullus dubito , quin etiam Eruditorum nominibus insigniri possent , & quidem ob sequentes causas , nempe quod callerent (a) Logicam nimurum Naturalem , quod de rebus , eorum captum non excedentibus ita ratiocinari queant , vt ipsis facultatem natura concessisset . (b) Physicam , quod rerum naturalium scientia ornati essent , de quo vid. Paulin. Bauren. Physic. (c) Ethicam , quod essent urbanis multi morationes ac cultiores . (d) denique Metaphysicam , (adsumo hanc vocem ineo significatu , vt olim , nimurum Theologiam Naturalem . Nam Metaphysica antiquissimis temporibus fuit ipsamet Theologia Naturalis . Quod vero aeo Scholasticorum in doctrinam de Ideis & regulis vniuersalissimis sit conuersa , factum esse adserit Excellentissimus Treunerus in diEtat. suis , ex ignorantia græcæ lingua &c.) Quoniam vero temporis & cartæ angustia non permittit , alii occasio ni id reseruabo . Sunt hæc proinde , quæ iam iam in medium proferre lubuit . Plura , quin reperiantur exempla nul-

nullus dubito ; ea tamen meam subterfugisse notitiam condonabis tum tenui bibliothecæ, tum temporis angustiæ. Ceterum penes B. L. vanis cauillationibus non obnoxium esto iudicium. Sin bene ipsi placuerit, Deo mecum gratias persoluat pro concessis viribus ; sin male, crescente facultate meliora sperabit.

COROLLARIA.

I.

Præ-Adamitæ ex Scriptura Sacra demonstrari non possunt, quæ sola huius rei testis esse debet.

II.

Rusticus, ut creatura DEI, omni honore dignus censemur.

III.

Eruditio potest existere etiam in homine, omnibus libris destituto.

III.

Eruditus ceteris merito præfertur.

V.

Accentus græci antiquitus non sunt adhibiti, sed sunt nouum inuentum.

D 3

NO-